

mant, voluntatem non posse pati violentiam in cessatione ab actu, etiamsi id fiat per subtractionem objecti, vel per suspensionem concursus divini. Quod attribuitur Durando et Paludano in iv, dist. xxix, et multi ex recentioribus Thomistis eam tenent. Alii existimant, simpliciter, et absolute posse voluntatem violentari in cessatione ab actu. Quæ fuit sententia Almaini, quem citat, et sequitur Vasquez hic disp. xxvi, cap. v; et Montesinos disp. x, quæst. vii; Lorca disp. iv, membro i. Sed diversimode explicant. Nam Vasquez tenet, quod voluntas in cessatione actus violentatur, non quando fit per subtractionem objecti, quia eo remoto voluntas non conatur in actum, nec postulat illum, sed naturaliter cessat; sed violenta erit cessatio actus, quando fit ex defectu concursus divini, ut si beato videnti Deum, et in amorem anhelanti, denegaret Deus concursum ad talem amorem; aut si voluntati præventæ cogitatione congrua etiam paratæ ad consensum liberum, Deus denegaret concursum. In utroque enim casu impediretur voluntas ab extrinseco principio respectu ejus ad quod est parata, et sic fiet illi vis, quia sufficit causam esse in actu primo dispositam, et inclinam ad operandum, et impediri ab extrinseco, ut dicatur fieri ei violentia, sicut fit violentia gravitati lapidis si projiciatur sursum etiamsi actu non graviter.

XXXIV. At vero Montesinos sentit, quod in cessatione ab actu pateretur voluntas vim non contra appetitum elicitem, sed innatum; quia ex natura sua voluntas petit aliquem actum elicere, sicut materia habere aliquam formam. Et talis violentia inferretur voluntati, sive id fiat per subtractionem omnis objecti, sive per suspensionem omnis concursus. In cessatione vero

ab actu aliquo particulari non potest voluntas pati vim, nisi sit talis actus ad quem voluntas ipsa sit determinata, et impediatur illum elicere, ut si in visione beatifica impediatur aliquis amare, quia ad illum amorem ex sua natura determinata est voluntas: et similiter per unum actum quasi reflexum vellet, et determinaretur voluntas ad aliquam volitionem eliciendam, et impediretur ab illa, sive per subtractionem objecti, sive per suspensionem concursus. Idem fere sentit Lorca, quod per cessationem ab actu, vel perpetuam, vel diuturnam violentatur voluntas, in cessatione autem ab aliquo actu in particulari potest aliqualem vim pati, si præcedat imperium efficax habendi talem actum, non autem simpliciter, quia ille actus in particulari non est simpliciter debitus, sed solum ex suppositione prioris a quo imperatur. Et ita quod Vasquez ponit esse debitum in actu primo, ponit Lorca esse debitum ratione actus præcedentis, a quo determinatur, et imperatur. In amore autem beatifico censet vim fieri voluntati, si concursus ad illum suspendatur, quia natura sua est ad illum determinata voluntas, supposita visione.

XXXV. Resolutio nostra est, quod voluntas non patitur directe, et per se violentiam in cessatione cujuscumque actus, etiam beatifici, aut in cessatione ab omni actu, si id fiat per solam suspensionem concursus divini, vel subtractionem objecti. Potest tamen violentiam pati in cessatione ab actu, si ab aliqua causa particulari impediatur operari, quæ tamen non est directe, et simpliciter violenta, sed indirecte, et secundum quid.

XXXVI. Ducor ad primam partem conclusionis, quia non solum voluntas, sed quodcumque agens creatum non patitur violentiam, si ces-

set ab operatione, cessante influentia causæ primæ, vel sui proprii momenti (ubi etiam includitur subtractio objecti, quod est movens formale, et specificans) sicut cælo non est violentum quiescere, si cessaret Angelus movere. Multo magis autem pendet causæ secundæ in suis motibus a prima, quam cælum in motu suo ab Angelo, quia causæ primæ subduntur in omni genere, et consideratione. Et hoc ideo, quia causæ inferiores non petunt ex natura sua operari, nisi stante motu, et influxu causæ superioris, cui per se subordinantur in agendo. Et sicut naturaliter inclinantur ad agendum supposito influxu, et motu talis causæ superioris, ita naturaliter, et sine ulla violentia, aut resistentia cessant ab operando, si causa superior non influat, nec moveat, quia potius ipsa natura causæ inferioris postulat non operari, nisi dependenter a superiori, et ex ejus motione, et influxu. Unde cessatio ab actu non est contra ejus naturam, cessante influentia causæ superioris, sicut naturale est, et non violentum cessare lumen in aere cessante luminoso, aut creaturam desinere esse, cessante divino concursu; hæc enim secundum principia ipsius naturæ sequuntur. Ergo voluntas nullam habet inclinationem ad operandum cum conatu in contrarium, cessante concursu Dei, sicut nec cælum, ut moveatur cessante motione Angeli. Et licet retineat voluntas potestatem in actu primo ad operandum, et cælum capacitatem ut moveatur, tamen ista potestas, et actus primus inclinatur ad operationem non absolute, sed cum suis dependentiis, et requisitis tamquam inclinatio dependens a superiori; non autem inclinatur ad operandum, etiam sine tali dependentia, et requisito: ergo cessante illo requisito cessat inclinatio, imo

petit ex sua natura cessare; ergo non est violentum.

XXXVII. Idem est si subtrahatur objectum a voluntate, ita quod ei non proponatur, quia (ut diximus) objectum est proprium movens voluntatis, ita ut in incognitum nullo modo possit ferri voluntas: ergo subtracto objecto movente, non est contra naturam voluntatis cessare ab actu, sed potius connaturale, quia naturale est illi non ferri in incognitum; ergo remoto, seu non cognito objecto non est violentum, quod cesset actus voluntatis.

XXXVIII. Dices: Potest voluntas desiderare, ut sibi proponatur objectum illud, quod subtractum fuit; et tamen intellectus impediri ne proponat, vel cognoscat tale objectum; ergo in illa cessatione patitur voluntas violentiam. Respondetur quod si voluntas desiderat, ut sibi proponatur tale objectum, non omnino ignorat illud, nec totaliter subtrahitur a voluntate, quia saltem cognoscit tale objectum in confuso, et quoad an est, indeque movetur voluntas, ut desideret sibi manifestius, aut melius proponi. Unde non violentatur in cessatione ab actu, si quidem actum desiderandi habet, sed violentatur in aliquo extra voluntatem, scilicet, in illo impedimento, quo impeditur intellectus proponere objectum, et voluntas illum amare. In impedimentis autem extrinsecis, et actibus aliarum potentiarum non est inconveniens, quod violentiam patiat voluntas licet ex consequenti inde etiam impediatur habere aliquem actum, quem desiderat habere. Non tamen ista est violentia in cessatione ab actu ex subtractione objecti, sed est violentia in impedimento potentiæ imperatæ, seu in aliquo extra voluntatem, unde resultat non posse habere voluntatem illum secundum actum. Sed hoc est com-

mune in omni violentia circa actus imperatos, quam posse voluntatem pati in sequenti dubio dicemus.

XXXIX. Quoad secundam partem conclusionis, dicimus quod duplex violentia potest intelligi in voluntate. Prima secundum rationem appetitus eliciti: secunda, quoad rationem appetitus innati, seu ipsius naturæ voluntatis, nam etiam ipsa voluntas natura quædam est, et suum habet appetitum innatum ad perfectiones sibi connaturales. Possumus ergo explicare violentiam in cessatione ab actu, tum in appetitu elicito, tum in appetitu innato ex subtractione objecti, vel concursus Dei. Primo modo sic, quia voluntas ex suppositione, quod est affecta alicui objecto, et desiderat occupari circa illud, tristatur ex absentia talis objecti, et sentit illius absentiam, et contra suam inclinationem, et affectum cessat ab illo; ergo qui impedit præsentiam, et cognitionem talis objecti, aliquam vim dicitur inferre voluntati, quod non est aliud quam tristitia orta ex cessatione actus circa objectum de quo vellet habere præsentiam, et delectationem, et detentio ipsa affectus, et impetus interni, quasi quædam violentia dicitur.

XL. Qua ratione D. Thomas in prima secundæ, quæst. xxviii, art. v docet, quod languor est effectus amoris, quatenus si amatum fuerit absens, sequitur tristitia de absentia, quæ per languorem significatur. Et sic dicitur amor pati violentiam, quatenus patitur tristitiam de absentia amati, et impeditur cessare ab illo particulari actu, quem vellet habere circa præsens amando, et fruendo illo. Cæterum hæc non est violentia simpliciter, sed ex suppositione, quod amet aliquod objectum, et impediatur occupari, aut delectari circa illud, simpliciter enim voluntas utriusque actus est

capax, et illius amoris, et hujus tristitiæ. Unde nec est violentia de qua loquimur in præsentia, quæ sit cessatio ab actu, exercet enim actum tristitiæ de re absentia, et desiderium de ipsa, per quem actum excludit oppositum, et caret illo, non tamen exclusio, et carentia unius actus ex admissione alterius est violentia consistens in cessatione ab actu. Nec omnino subtrahitur sibi objectum, sed habet illud in memoria; si enim totaliter subtraheretur, nullam haberet tristitiam de absentia, aut desiderium de tali re.

XLI. Secunda autem violentia in voluntate, scilicet contra appetitum innatum, vix potest intelligi, quod fiat ab aliqua causa particulari, nisi per subtractionem objecti, sive quantum ad omne objectum, ut si homo dormiat; sive quantum ad aliquod objectum particulare, ut si distrahatur, vel aliquo alio modo impediatur illud attingere. Præter hunc enim modum impediendi actum voluntatis, non restat alius, quam per subtractionem concursus divini, quia solus Deus influere potest physice intra voluntatem, ut docet D. Thomas 1 p. q. cv, a. v. Si hoc secundo modo fiat violentia suspendendo concursum divinum, hoc non pertinet ad causam particularem, sed ad universalem, quæ est Deus, cujus influxu cessante, jam diximus, quod causa secunda non inclinatur ad operandum, nec violente cessat ab operatione, sed naturaliter, et a principio intrinseco, quia licet subtractio concursus sit a principio extrinseco, tamen quod eo subtracto cesset voluntas ex extrinseco principio est, quia intrinsecam dependentiam habet in operando ab illo concursu. Si autem tollatur omne objectum, etiam naturaliter cessat operatio voluntatis, quia cessat propositio objecti, quod est proprium, et connaturale mo-

vens voluntatis, nec enim potest ferri in incognitum. Et constat, quod dormiente homine nulla fit violentia voluntati, et tamen cessat ab omni operatione, et si continuo dormiret, continuo cessaret sine violentia ab operando. Et eodem modo si beatus cessaret ab amore Dei per suspensionem concursus, nullam pateretur violentiam, quia licet voluntas necessario sit inclinata ad amandum Deum clare visum, tamen hæc inclinatio est cum dependentia ab influxu divino, ut diximus, sicut et quæcumque causa secunda in agendo, et sic naturaliter cessat ab actione, eo sublato, sicut cælum naturaliter cessat a motu, cessante Angelo movere.

XLII. Objicies: Si materia prima denudetur omni forma patitur violentiam, ut diximus quæstione nona physicorum, art. iv, et tamen non potest denudari ab omni forma, nisi per potentiam Dei absolutam; ergo similiter si voluntas privetur omni actu suo per suspensionem concursus Dei, quod fit de potentia absoluta, patietur violentiam. Consequentia probatur, quia sicut voluntas est potentia elicitive actus, ita materia prima est passiva, et sic inclinatur naturaliter ad agendum, sicut illa ad patiendum; sicut ergo una patitur violentiam, etiamsi de potentia absoluta privetur omni forma, ita et alia si privetur omni actu.

XLIII. Confirmatur, quia in casu, quo voluntas habeat omnia requisita ad operandum, aut sit in procinctu ut operetur, illud impedimentum tollendi ab ipsa objectum vel suspendendi concursum provenit ab extrinseco; ergo patitur vim ipsa voluntas. Patet consequentia, quia privatur aliquo sibi connaturali, quod est contra naturalem ejus inclinationem, et hoc ab extrinseco principio, quod est Deus. Quod enim id fiat a causa universali, parum

interest, quia quamdiu manet repugnantia, et renitentia in contrarium, et id quod tollitur est connaturale, et debitum, tolliturque a principio extrinseco, fit violentia. Urgetur etiam exemplo lapidis detenti, ne descendat, cui sine dubio fit violentia, et tamen supposita detentione non potest descendere, neque ad id naturaliter inclinatur, ut etiam detentus descendat, si quidem stante detentione nullum motum elicit in contrarium, quo resistat. Ergo ad violentiam non requiritur repugnantia, et renitentia in actu secundo, sed sufficit in actu primo, quia sic est contra naturam. Idem ergo erit in voluntate respectu actus impediti, licet in actu secundo non repugnet, neque conetur in contrarium; ergo quamvis voluntati sit impossibile operari sine concursu Dei, tamen adhuc patitur vim illo suspensa, quia in actu primo petit ex natura sua illum habere, et est sibi possibilis ille actus absolute, et in sensu diviso, licet in sensu composito, id est, supposita negatione auxilii, et concursus, sit impossibilis, et connaturaliter cesset voluntas ab illo; sicut supposito impedimento est impossibile agere causæ impeditæ, et nihilominus patitur violentiam in illo impedimento, sicut lapis dum detinetur sursum.

XLIV. Respondetur quod ut diximus dicta quæstione nona physicorum, articulo quarto, tunc fit violentia principio passivo, quando removetur a tota collectione formarum, quarum est capax, vel a totali subjectione ad suum activum a quo natum est moveri. Et posuimus exemplum in materia prima, si denudaretur ab omni forma; vel si materia sublunaris cogere recipere formam cæli, nulla habita forma corruptibili; vel si materia ultimo disposita impediretur a receptione formæ. Quæ exempla adducta a nobis

sunt ad convincendum intentum, non solum in nostra sententia, sed etiam in opposita, quæ admittit materiam posse esse absque omni forma, et simul in sententia quæ admittit Deum posse inferre violentiam creaturæ, saltem quando conservat inclinationem, et renitentiam in oppositum, et quoad hoc operatur ad instar causæ particularis. Solum ergo locuti sumus sub conditione, si materia poneretur absque omni forma; quæ conditionalis nihil ponit in esse. Cæterum admissio illo casu (ut possibile sentit illa opposita sententia) posset tunc pati violentiam materia, quia adhuc sublata omni forma, conservaretur a Deo appetitus, et inclinatio, quam habet ad formas sibi proprias, cujus signum manifestum est, quia si materiæ sic denudatæ ab omni forma applicaretur aliquod agens disponens ad introductionem formæ, sine dubio illam connaturaliter recipe-ret (nisi Deus hoc etiam impediret de novo,) et immutaretur, seu disponeretur connaturaliter a tali agente; ergo inclinatio manet in materia sic denudata, tum ad talem formam, tum ad tale agens, et consequenter ad id tendit, et ad id inclinatur, quantum est de se; sicut aqua privata frigore ad illud inclinatur, et tendit, etiamsi omni frigore denudata sit; et lapis ad centrum tendit, licet omni loco deorsum denudatus sit. Quando autem Deus ita impedit aliquid a suo connaturali statu, vel forma, quod relinquit in eo appetitum, et inclinationem ad oppositum, violentiam infert, licet id faciat de potentia absoluta, quia non facit cum totali obedientia, et inclinatione causæ inferioris, sed conservando renitentiam, et resistentiam, seu inclinationem in contrarium, et quoad hoc se habet ad instar causæ particularis, quæ cum oppositione alterius causæ operatur. Aut vero

voluntas, et quodcumque agens creatum, cum sit agens motum, non inclinatur ad operandum, nisi supposito motu causæ superioris, quia non inclinatur nisi ad operandum ut causa secunda, et creata, atque adeo ut mota, et subordinata; unde remoto motu, et influxu causæ superioris, naturaliter cessat ab operatione, sicut cælum cessat naturaliter a motu, cessante motione Angeli imprimantis impulsus. Appetitus vero materiæ non pendet a motu aliquo formæ, ut eam appetat, quin potius erga formam absentem magis inclinatur appetitus passivus, quia sibi deest forma. Ergo materia denudata a forma tantum abest, quod cesset ab appetitu, quod potius magis fertur in illam; agens vero cessante motu causæ superioris, quasi enervatum viribus, et efficacia cessat operari naturaliter.

XLV. Ad confirmationem respondetur, quod in illo casu ablatio objecti, vel concursus est quidem a principio extrinseco, sed non manet renitentia in voluntate, quia hæc non inclinatur, nec movetur, nisi ut mota a suo proprio movente, quod specificative, et formaliter est objectum, effective vero ipse Deus, qua motione, et concursu sublato, naturaliter cessat.

XLVI. Et cum instatur, quia voluntas inclinatur naturaliter ad operandum, et habendum requisita ad agendum, sicut est ipse concursus, et tamen privatur illis; ergo ipsum carere concursu, ut possit agere, violentia est illi.

XLVII. Respondetur quod inclinatur ad operandum non quomodocumque, sed sub illo statu, et conditione, quod habeat influxum ad operandum a causa superiori, quia inclinatio ejus est per modum causæ subordinatæ, et inferioris, et sic dum non habet requisita ad operandum, neque concursum Dei, inclinatur solum in actu primo, et

cum capacitate ad agendum, si causa superior influxerit, et ad cessandum de facto, dum non influit. Unde taliter inclinatur ad operandum, si detur concursus causæ primæ, quod etiam inclinatur ad cessandum ab opere, si desit talis concursus, et sic tam naturale est cessare ab agendo quando tollitur divinus concursus, sicut est naturale inclinari ad operandum stante concursu, ut in exemplis sæpe allatis ostensum est: cælum enim naturaliter inclinatur ad motum stante motione Angeli, et illa cessante, naturaliter inclinatur ad quietem, et cessationem sine conatu ad oppositum, quia utriusque naturaliter est capax sub diverso statu. Sunt enim aliquæ formæ ad quas est inclinatio naturalis non absolute, sed supposito aliquo statu, vel conditione, sicut lapis inclinatur ad quietem prout est in centro, ad motum vero prout est extra centrum. De facto autem prout in centro est non conatur ad motum, nec ad illum inclinatur, sed naturaliter ab illo cessat. Et sic etiam agentia inferiora habent inclinationem ad agendum, si ponatur concursus divinus, non si tollatur; tunc enim naturaliter cessant, et solum in actu primo retinent inclinationem, non cum resistentia, et conatu in contrarium. At vero materia prima independenter a motu formæ, et applicatione, seu conjunctione cum ipsa, appetit positive talem formam, imo magis appetit, quanto magis sibi deest.

XLVIII. Ad exemplum autem de lapide detento, aut causa impedita, quæ patitur violentiam, etiam dum durat impedimentum, respondetur quod posita detentione, aut impedimento, si causa detenta conetur ad solvendum impedimentum, et tollendam detentionem, utique violentiam patitur, quia renitentiam habet; si vero non conetur in opposi-

tum, sed cesset, non violentatur. Lapis autem detentus conatur in oppositum, et renititur detentioni, ut patet manifeste, quia si quis detinet lapidem manu, vel humeris, fatigatur; ergo lapis gravitat in actu secundo. Causa autem inferior, cessante influentia causæ superioris, non conatur ad agendum, sed naturaliter cessat; sicut cælum absente Angelo non conatur ad motum. Nec sufficit ad violentiam retinere inclinationem in actu primo, sed requiritur conatus aliquis, et renitentia in actu secundo, vel activo, si sit conatus causæ efficientis, vel appetitivo, aut dispositivo, si sit materialis, quia appetit, et disponitur ad recipiendam formam; cujus ratio est, quia inclinatio in actu primo est indifferens ad cessandum, et ad agendum, quia si sibi detur concursus, et alia requisita, est inclinata ad agendum; si negetur concursus, ad cessandum. Ergo sola inclinatio in actu primo cum tali indifferencia non facit violentiam, sed est ad utrumque pro diversis statibus.

XLIX. Unde sequitur, quod aliæ potentiæ, præter voluntatem, cum possint a causis particularibus impediri ne suas operationes eliciant, et non solum per suspensionem concursus divini, poterunt violentari in cessatione ab actu, quia potest manere conatus aliquis, et renitentia talium potentiarum contra illam causam particularem, quatenus impedimentum ejus conatur repellere, sicut virtus motiva potest conari ad tollendum impedimentum, quo ligatur, et impeditur cessare a sua operatione, licet per illum conatum non sortiatur effectum, nec se moveat, neque vincula rumpat, licet aliquid operetur saltem disponendo, et conando: et oculus potest conari ad videndum, licet impediatur operari ab aliqua